



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

Capvt IV. Acquisitio, possessio, amissio diuitiarum quantis miserijs sit
obnoxia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

uites reprobos eum deputat Dominus: quia diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, aut in domo. Quin & apud homines diuitiæ sunt maximæ, non egere diuitijs; & ille est pauperior, qui pluribus eget: pauperimus ergo, qui quàm plurima concupiscit, quia ostendit se quàm plurimis indigere. Talis autem est, quisquis

*Componit opes gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est.*

Senec. in
Herc. Fu-
rente.

C A P V T I V.

*Acquisitio, possessio, amissio diuitiarum
quantis miseris sit obnoxia?*

§. I.

Nescire eos, quid appetant, qui opes appetunt.



Vi, ex istorum sententia, pauperes iudicat esse diuitibus feliciores, lætatur, non queritur, si opibus amissis in statum incidit feliciorum; satisq; se opulentum arbitratur, qui videt sibi nihil deesse. Cui autem appetendæ videntur diuitiæ, demonstrat se tamquam famelicum, nondum esse satiatum, illudq; ipsum, quod appetit, sibi deesse profiteretur; atque eam ipsam

Prou. 12.
9.

ipsam ob causam non negat se egere. Itaque melior est pauper & sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane, neque enim eo, quod habet contentus est; cum interea pauper sufficiat sibi. Hoc planè ita est, & tamè tantus mortalium numerus censet diuitias, præ paupertate, appetendas. Et ista sententia,

S. Chryf.
homil.
quòd ne-
mo lædi-
tur nisi à
seipso.

ait S. Chrysostronus, non solum terra marique seruatur, sed usque ad ipsas nubes, & sidera ascendit. Noni & ego, quòd non tam ista sententia, quam flamma est, qua & istum vastat orbem terrarum, & qui extinguat quidem nullus est, qui accendant verò & magis magisque inflamment, multi sunt; omnes enim fauent huic malo, non solum illi qui ab eo capti sunt, sed & qui nondum illuc videntur ingressi, & unumquemque hominem videns, siue vir ille, siue femina sit; seruus, aut liber, diues, aut pauper, pro viribus suis incendio huic, materiam & onera comportare, & die ac nocte in eius ministerijs vigilare. Onera dico non ligni, aut fœni: non enim talis est flamma, qua ista consumat, sed anime sue & corporis, iniqua & iniusta ei opera deferunt, his enim accenditur ignis iste. Nam & ipsi diuites etiam si totum orbem esset possibile possideri à singulis, adhuc in desiderio eius arderent: pauperes verò, dum cupiunt diuitibus

diuitibus exaquare, insatiabilem rabiem patiuntur, insaniunt, furunt, & in tantum amor pecunia omnem animam fatigat, ut nec coniugis aut filiorum amor locum det: quibus affectibus inter homines nihil praefertur: amor autem pecuniae omnia haec huiusmodi deicit, & pedibus conculcat. Ita velut fera quadam, & domina crudelis omnium possidet corda, & tyrannica dominatione deuincit, saeuit ut barbarus, feruet crudeliter ut tyrannus, debacchatur impudenter ut meretrix, nusquam miseretur, nusquam pudet terribilis & dira est, & tamen suavis, & amabilis hominibus videtur, & dulcior melle, cum ipsa eis precipitia quotidie paret. Expeditur hoc ab eis, & adhuc desideratur, & per innumeras mortes latantur se ad eius ianuas saltem peruenisse: volutari namque in caeno eius, tamquam sues delectantur, & ut chantari stercus eius euolueri. Quo modo ergo sanabimus mentes huiusmodi, irrationabilia illa, quae diximus, quae se huiusmodi sordibus volutant? Transferri ab his non possunt, utpote intellectu, & ratione carentia: nobis autem nunc sermo ad homines habetur, quibus intellectus inest, Superest, ut audire velint, & facile de caeno isto poterunt liberari. Audiant ergo, quid secum ferat diuitiarum acquisitio, quid pariat eorumdem

rumdem

Francisc.
Petrouch.
c. 53.

rumdem possessio, quem dolorem relinquat
illarum amissio, si appetantur, aut nimium
amentur, discantq; amorem deponere, &
frangere tam noxium appetitum. Multi e-
nim etiam olim opes rem *quasitu difficilem,*
custoditu anxiam, amissu flebilem vocauerunt.

§. II.

Mentes humanas appetitu cacari.

Frangetur autem inprimis, si perpendere
velimus ipsum appetitum, qui cum duitia-
rum acquisitione coniunctus est, immò &
præcedit. Cura enim nimia & intempestiuū
studium rerum temporalium voluntatem
intemperanti affectu inuiscatam rapit, ut
nihil non moliatur, solliciteq; scrutetur
omnia, ne ab eorum adeptione impedita
voto suo excidat. Per hoc ardens desideriuū
voluntas capta, etiam intellectum in rem
amatam defigit, atque ad eam irrequieto
motu vbilibet vestigandam, suprâ quàm
mediocritatis fines ferant, circumagit, id-
circo exsculpuntur imprudentia iudicia, ob
quæ spinosæ illæ sollicitudines inter pec-
cata prudentiæ opposita numerantur. Solli-
citus enim nimia rerum caducarum ra-
tionem absorbet, nimijs cogitationibus, de
eiusmodi bonis acquirendis, vel conseruan-
dis,

dis, vel non amittendis: quod est prudentiæ aduersum. Accedit, quòd effrenis amor rerum istarum etiam faciat temporalia, quæ auarus sibi tamquam fines proponit, non, qualia in se sunt, apparere, sed qualia iuxta prauum amorem dispositionemq; hominis apparent. Hinc imprudens & peruersum de rebus iudicium existit. Atque idcirco D. Chrysofomus ait, *amorem pecunie euertere, seu deicere, & pedibus conculcare eos affectus, quibus inter homines nihil præfertur, adigere ad insatiabilem rabiem, facere vt insaniant & furant*, atque, vno verbo, vt ex hominibus ad alia natis, tyranni, barbari, denique feræ fiant. Qua de caussa & Aristoteles monet, homini qui prudentiam amat, cauendum esse affectum prauum, quo intellectus per consensum obtenebratur, & à formatione veri de rebus iudicij abducitur; & cæcus fit ibi, vbi se maximè putat esse oculatum. Scitè D. Laurentius scribit, hanc esse prudentiam terrenam, de qua scriptum censet illud Baruch: *Filij Agar qui exquisierunt prudentiam, qua de terra est, negotiatores Merrha, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ; viam autem sapientiæ nescierunt, nec commemorati sunt semitas*

Laurent.
Iustin. in
ligno vitæ
tract. 4.
cap. 5.

semitas eius. An non ergo ipsa hæc sollicitudo mentes hominum excæcans dignam se esse, quæ horreatur, ostendit? Non sine causa Plutum poetæ cæcum finxerunt, facit enim cæcos, qui se sinunt ab ab illo gubernari. Quapropter utique non possunt videre, paupertatem diuitijs esse præstantiorem, quæ, teste Aristotele, *nihil ferè aliud sunt, quàm felix amentia, immò infelix.*

Aristot. 2.
Rhet.
cap. 16.

§. III.

Quantus sit labor in diuitijs acquirendis?

Hic cæcus dux homines impellit ad sectandas opes. At qualisnam est, aut certe esse solet opum acquisitio? Satis esset ad diuitiarum contemptum, quòd non sine molesto labore acquirantur, nec sine molestioribus curis custodiantur, nec sine molestissimis luctibus amittantur, sed insuper iniquitas se ijs vbique intermiscet. Quantis laboribus inquirantur, testantur imprimis omnes, quicumque agros fodiunt, arant, occant, serunt, & quisquis

Catull.
denuptijs
Pelei &
Thetid.
Genes. 3.
19.

Sole sub ardenti flauentia demetit arua:
testantur item omnes mercenarij, operarij, opifices, & quotquot corium suunt, ligna cædunt, saxa è lapicidinis eruunt. Hi omnes *in sudore vultus sui vescuntur pane.* Subscribunt

retinendis, & amittendis divitijs. 65

bunt omnes hominum sortes, dum laudant
diuersa sequentes.

O fortunati mercatores, gravis annis Horatij
Miles ait, multo iam fractus membra lib. 1.
labore, Satyr. 1.

Contra mercator, nauim iactantibus
Austris,

Militia est potior &c.

Interim vterq; laborat, iste vt lucrum, il-
le vt spoliū reportet. *Qui nauigant mare, Eccli. 43^o*
enarrent pericula eius: & audientes auribus 26.
nostris admirabimur.

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens.

Longum iter conficiendum est; aliena tel-
lus adeunda; vitandi scopuli, breuia & syr-
tes; expectandi & superandi saepe aduersi
venti; excipiendi decumani fluctus; susti-
nendæ procellæ nauim quatientes; atræ nu-
bes & horridæ suspiciendæ; imbres, nimbi,
turbines reliquæque tempestates despicien-
dæ, non rarò etiam ex naufragio tabula ar-
ripienda; deniq; sexcentæ sunt occasiones
pereundi. Tanti fit aurum. In bello autem,
quod plurimi non nisi prædæ causâ amant,
quis vult vigilias, famem, sitim, frigora,
æstum, morbos, & mala cuncta militaria.

E enar-

enarrare? Quàm multi *trium nummum* causa subeunt sub falas, vt Cornicus loquitur? applicant scalas, conscendunt muros, neque sciunt, vnde contorta falarica veniat; aut vnde fulminent è manibus, aut turribus, aut propugnaculis tormenta. Vno verbo, hi Martij pupilli vel dandis, vel accipiendis vulneribus stipendia merentur, semper vel suo sanguine cruenti, vel alieno, seu occidant, seu occidantur. Nemo mihi obijciat eos, qui domi sessitantes fœnus exercent, & per vsuras, aut alios dolos fraudesque rem suam augent. Hi enim nec interdiu dormiunt, nec noctu quiescunt, semper sunt in suo calculo, semper computant, semper scribunt, legunt, relegunt, semper vigilantes sibi somnia fingunt. Quid multum opus est? ipsum aurum, teste S. Augustino, prouidens hominibus natura, *cum labore facit quæri, quod noluerat inueniri.* Addit paulò post: *Aurum quod arumna perquirat, quod auaritia cupit, quod sollicitudo custodit: aurum materia laborum, periculum possidentium: aurum enervatio virtutum; aurum malus dominus, proditor seruus.*

S. Aug.
lib. de
verb. Act.
Apost.
serm. 2.

§. IV.

Quantis sceleribus plerumq; diuitie acquirantur? Ne

Neque enim sufficit in acquirendo auro esse laborem, qui tamen solus plurimos à virtute sectanda absterret, sed insuper plerumque habet auaritiam, fraudes, cædes, & meditata scelera connexa. Celebris fuit sententia Pythagoræ: *Imaginem Dei, ne geras in annulo.* Aiunt Pythagoram vel è diuinis libris, vel è diuinis viris, vel rationis ductu intellexisse, animam hominis esse imaginem Numinis; hanc ergo noluit in annulo aureo vel sculpendam, vel gerendam, sicut gemmæ in pala annuli gestantur. Quo simbolo voluit monere, ne mentem animamq; nostram auro includamus, more eorum, qui nihil aliud cogitant, nihil aliud amant, nihil aliud sitiunt, nihil aliud quarunt, & negotiantur, nisi aurum & diuitias, atque ita animam suam, imaginem Dei, captiuam tenent, auro non decorantes, sed maculantes. Huc respexit ille, qui Syllæ nescio qua de re sese iactanti dixisse legitur: *Quo modo vir bonus esse potes, qui tantas possideas opes, cum à patre nihil tibi sit relictum?* Qui nescit flagitijs parari opes, interroget corruptores euerforesque testamentorum, examinet fures, abigeos, prædones, latrones; consideret vsurarios, mangones, & Iudæos nostrates;

Plutarch.
in vita
Syllæ.



& quos non? Ut pecuniæ habeantur, profli-
gatur fides, proditur patria, amittitur cae-
lum, venditur anima diabolo, traditur Deus
Iudæo. Neque enim satis est, Iudam hoc se-
mel fecisse, adhuc hodie reperiuntur, qui ut
nummos referant, deferunt hostiam conse-
cratam, ad recutitos, impijs cultris conuul-
nerandam. Quis honor, quæ honestas, quæ
nobilitas inesse potest auri argentiq̃ue sac-
culis, aut prædijs in hunc modum acquisi-
tis? Et tamen quoties nobilitas non nisi his
artibus comparatur?

§. V.

*Pessima artes, quibus diuitia atque nobilitas
sæpe sunt quasita-*

Imperia-
lis Secre-
tarius in
hist. de
Euryalo.

Quod, apud puræ Latinitatis, sed non
item puræ castitatis authorem Pandalus o-
stendit, qui *lenocinij mercede sortitus est Comi-
tatum, & auream bullam suæ nobilitatis poste-
ritati nulla virtute comparatam demonstra-
uit.* Cuius exemplo scriptor hæc subiungit.
*In nobilitate multi sunt gradus, mi Mariani
& sanè, si cuiuslibet originem quæras (sicut ma-
sententia fert) aut nullas nobilitates inuenias,
aut admodum paucas, quæ sceleratum non ha-
buerunt ortum. Cùm enim hos dici nobiles vi-
deamus, qui diuitijs abundant, diuitia ver-*

rati

rarò virtutis sunt comites, quis non videt ortum esse nobilitatis degenerẽ? Hunc usura ditant: illum spolia: proditiones alium: hic veneficijs ditatus est: ille adulationibus: huic adulteria lucrum prabent: nonnullis mendacia profunt: quidam faciunt ex coniuge quastum: quidam ex natis: plerosque homicidia inuuant. Rarus est, qui iustè diuitias congregat. Nemo fastum amplum facit, nisi qui omnes metit herbas. Congregant homines diuitias multas; nec unde veniant, sed quàm multa veniant, querunt. Omnibus is versus placet:

Vnde habeas querit nemo: sed oportet habere.

Postquam verò plena est arca, tunc nobilitas poscitur: que sic quaesita, nihil est aliud, quàm premium iniquitatis. Et paulò post. Non miror aureas vestes, equos, canes, ordinem famulorum, lautas mensas, marmoreas aedes, villas, pradia, piscinas, iurisdictiones, siluas: nam hec omnia stultus assequi potest, quem si quis nobilem dixerit, ipse fiet stultus. Hæc de nobilitate emta, non de illis, quos virtus, aut fortitudo bellica, scientiæ ué nobilitauerunt. Huius enim nobilitatis origo honore dignissima semper iudicata est: empta autem nobilitas tanti facienda est,

Matth. 13.
7.

quanti pecunia, quæ utiq; non ornat eos, à quibus fuit, per furta, aut fraudes comparata. Quæ cum ita sint, nonnè meritò Christus diuitias cum *spinis* comparauit, quæ & pulchritudine carent, & molestæ sunt rosas colligentibus, & denique vulnerant contrectantes. Longè sanè profundius aculeum imprimunt diuitiæ, quibus incautè manus iniiciuntur. Vno verbo, *pauper est, qui vult esse diues*; nec rarò dum quærit pecuniam, amittit vitam. Ita memorat Ioannes Nauclerus, Anno 1198. Richardum regem Angliæ, cum audiisset quemdam militem Lemouicensis diœcesis in suo castro thesaurum magnum reperisse, cupiditate accensum, à vicecomite Lemouicensi, ad quem securitatis causa confugerat, militem repetiisse. Negatus est illi miles. Quare in dicto castro eum rex obsedit, thesauro positurus. Sed neque arcem, neque militem, neque aurum cepit. Quippe cum castrum noctes diesque quateret, rexque ipse oppugnantibus instaret, sagitta ictus interijt. Hoc habet, non thesaurum.

Ioann.
Naucler.
Chrono-
graph. vo-
lum. 2.
Gener.
40. Anno
1198.

Lucan.
lib. 3. bel-
li ciu.

*Usque adeò solus ferrum, mortemq; timere
Auri nescit amor.*

§. VI.

§. VI.

Cura & sollicitudo in diuitijs retinendis.

Durus cortex est nucis, sed eum vbi fregeris, dulcem nucleum reperies. An tales sunt diuitiæ? nequaquam: cum labore, & plerumque non sine scelere acquiruntur; cum sollicitudine, & rarò sine iniquitate, possidentur; cum dolore, & saepe etiam desperatione amittuntur. Quanta sit sollicitudo opes partas seruandi, testatur Horatius ita canens:

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Ostendit in Euclione Plautus. Quantis ille senex curis & intemperijs ollam auro factam, de loco in locum identidem transfert? quàm latebram nullam satis tutam putat? quantum oculos emissitios, vel in lusca & semicæca anumetuit? Nec sunt pauci eiusmodi Eucliones, qui thesauros defodiunt, aut tres fores opponunt, quinque seras appendunt. Nota fuit & Propertio hæc querela. Ita enim interitum cuiusdam deflet.

Ergo sollicita tu caussa pecunia vita es?

Per te immaturum mortis adimus iter?

Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,

Semina curarum de capite orta tuo.

Horat.
lib. 3.
carm. od.
14.
Plaut. in
Aulul.

Propert.
l. 3. eleg.
6.

Curæ hæ nonnè totius ferè vitæ tempus insumunt? neque enim cessant, opibus accumulatis, sed semper durant, immò semper crescunt, quantum ipsa pecunia crescit.

Isa. 2, 7.

Repleta est terra auro, & argento dixit Isaias, cum de diuitijs loqueretur. Cur dixit, terra? cur non dixit, repleti sunt homines auro & argento? Nempe fieri potest, arcas & domos hominum plenas esse diuitijs; homines verò auaros repleri, tametsi semper afferas, fieri non potest. Quàm diu autem cupiditas manet, tam diu manet sollicitudo. Quam ob rem rectè Plato auarorum corda vasi rimoso comparauit: vt enim vas confractum repleri nequit, etsi vtrumque mare in illud infundas; ita cor cupidi numquam potest diuitijs impleri, quamuis omnes auri argentiq; venas exhaurias. Talia finxerunt Poëta Danaidum dolia, fundo carentia, quæ casto labore noctes diesque, aquas acciperent, numquam implerentur. Tormenti hoc genus est, & in vanum laborare; accendunt enim sitim isti, non extinguunt, & velut

Cic. Paradoxo ult.

in sacculum pertusum mittunt. *Improbi & auari*, inquit Cicero, *quoniam incertas, & in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est,*

est,

est, cui quod haberet, esset satis; non modò non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

An vigilare metu exanimem, noctesq; diesq;
Formidare malos fures, incendia, seruos,
Ne te compilent, fugientes: hoc iuuat? horũ
Semper ego optârims pauperimus esse bono-
rum. &c:

Horat:
lib. I. Sat.
tyr. I.

Denique sit finis quarendi, cumq; habeas
plus,

Pauperiem metuas minùs, & finire laborem
Incipias, parto quod auebas: nec facias, quod
Aufidius quidam, non longa est fabula, diues,
Ut metiretur nummos: ita sordidus, ut se
Non umquam seruo meliùs vestiret: ad usq;
Supremum tempus, ne se penuria victũs
Opprimeret, metuebat, at hunc liberta securi
Diuisit medium, fortissima Tyndaridarum.

§. VII.

Quàm miseros faciat pecunia habentes?

Manet ergo sollicitudo, & miseria, etiam post opes adeptas, immò augetur. Neque sollicitudo tantùm, sed ea est natura diuitiarum, vt vel malos sequantur, vel faciant, si probos inuenerint. Aristotelis problema extat, quo quærit: Quĩ fiat, vt paupertas, apud probos viros, plerumq; versetur? red-

ditque eiusce rei varias causas, inter quas est, Quòd improbi per fas nefasque malint parare diuitias, quàm cum paupertate diutinum contubernium habere: fugere proinde ab illis, quibus videatur maximorum flagitiorum occasio futura; ad illos deflectere, quos existimat sese rectè vsuros. Quò igitur tendunt opes? Nemo dixerit, eas tantùm improbis contingere, cùm & Abraham, & Iob, & Dauid diuites fuerint, & bellè dictum sit: *Diuitia bonis dantur, ne mala videantur: dantur malis, ne summa putentur: auferuntur bonis, ut probentur; malis vero, ut crucientur:* valde tamen vsitatum est, ut eos grauent, & in infernum deprimant, à quibus nimis anxie adamantur. Quàm enim difficile est, diuitias rectè, iustè, liberaliter expendere? quàm laboriosum, eas à furibus, raptoribus, & iniuriosis defendere? quàm multa sunt maledicta, inuidiæ, odia, propter eas, sustinenda? Quot subeundæ lites? quot adeunda tribunalia? quot rogandi prætores? ipsa bella nonnè propter opes & possessiones suscipiuntur? Cur Plutum sibi à Mercurio vltro adductum admittere noluit Timon ille? *Quoniam pridem, inquit, innumerabilium malorum hic mihi fuit auctor.*

Lucian.
in Timone
misanthropo.

auctor, cum me assentatoribus proderet, insidiatores in me inuitaret, conflaret odium, illecebris corrumpere, inuidia obnoxium redderet: denique cum me adeo perfide ac proditorie destituerit. Et S. quidam Pater dixit: *Aurum amplius cruciat, apud quem largius fuerit.* Nec cruciat tantum, sed etiam maculat. Quamquam hoc habent diuites, quod sicut aulam floridum multa sordida tegit, ita apud eos, auri splendore, & nitidis titulis multæ tegantur calamitates; quæ tantò sæuius intus vrunt, quantò magis premuntur foris; sicut incendia diutius inclusa, potentiùs erupturæ. *Sudat pauper foris in opere,* ait S. Bernardus, *sed numquid anxie diues intus in sua cogitatione laborat? Aperit ille os suum in oscitatione, aperit iste in ructatione; & interdum grauius iste fastidio, quam ille inedia cruciatur.* Quid enim illi sapiat, cuius anima est amaritudine plena? Dolorem non tollit, qui vulnera sua tegit. Periculosiores sunt cicatrices, si computrescant. Nec pauci sunt tales:

*Plures nimiam congesta pecunia curam
Strangulat, & cuncta exsuperans patri-
monia census.*

Siquidem, teste Petrarca, *multis mortem
attule-*

S Bern.
ser. 4.

Iuuen.
Sat. 19.

Francisc.
Petrarcha

de rem.
vtr. Fort.
cap. 53.
Ant. ser.
de diuit.

attulere diuitia, requiem verò omnibus abstulere. Vnde Chilon interrogatus, *Quid essent diuitia?* respondit: *Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppeditatio.*

Cic. lib.
vlt. Tusc.

Has cum quis, quamuis indignus, habere possit, in bonis non numero. *Quod enim est bonum, id non quivis habere potest,* ait Tullius. Et quis ea bona vocet, quæ vrunt, & cruciant?

Senec.
ep. 2.

Et tamen homines ea expetunt. *In hoc excusabiles sunt dii,* ait Seneca, *quòd ista, quæ vrunt, quæ cruciant, optantibus data sunt.*

§. VIII.

In paupertate delicias maiores percipi, quàm in diuitijs.

S. Chrys.
homil.
Quòd ne-
mo lædi-
tur, nisi à
se ipso.

Age ergo iam, & percontemur ab eis, ait S. Chrysostronus, *cur expetenda videantur esse diuitia? Respondebunt primò, propter vitæ voluptatem, & corporis delicias, tum deinde, propter honorem, & propter officia, quæ ab hominibus diuitiarum causa conferuntur, & quia dives facile ulcisci potest in eos, qui iniuriam inferre tentauerint, & ut timori ceteris sit. Existimo, quòd alias, exceptis his, causas non habeant, voluptatis dico, honoris officiorum, timoris & ultionis: nam neque sapientio rem, neque temperantio rem, neque prudentio rem, neque clementio rem diuitia hominem facere possunt,*

sunt, non deniq; sanctiorem: nusquam enim aliquando iracundum in placidum & mansuetum commutarunt, neque incontinentem continentiam docuerunt, nec voluptuosum sobrietatem, nec innerecundum verecundiam, nec aliud virtutis genus. Quòd si virtutibus animas nihil conferunt, nec meliorem hominem secundum titulum virtutum reddunt, dic, quaeso, quam ob causam videantur diuitia expetenda? Singula deinde ostendit, quæ vniuersim asseruerat, nimirum potius morbos à diuitijs haberi, quàm voluptates; superbiam, quàm honores, dedecus quàm dignitates; vlciscendi autem potestatem potius causam esse execrandi diuitias, quàm sectandi, de quibus postea locus erit agendi. Sufficiet hîc primum caput attigisse. Alibi igitur idem S. Pater ait: *Vnum est quo diuitia paupertatem superare videntur, quotidianis affluere delicijs, multa in conuiujs repleti voluptate. Hoc tamen in pauperum mensa potius contingit, qui maiori, quàm diuites fruuntur voluptate. Et ne miremini dictum, ex ipsa rerum demonstratione manifestum fiet. Nostis quippe omnes, & hoc confitemini, quòd voluptatem in conuiujs, non ferculorum natura, sed conuiuantium dispositio facere consuevit, ut cum fame*

S. Chryf.
2. hom.
ad pop.

fame quis mensam attingit, omni obsonio, & condimento, & innumeris ciborum illecebris, iucundiores escas gustabit, etsi omnium vilissima sit, necessitatem verò & esuriam praeueniens (quod diuites faciunt) etiam si placetas inuenerit appositas, non sentiet voluptatem, appetitu scilicet non excitato, & in hoc testes quidem vos omnes. Audiamus autem & Scriptu-

Pro. 27.
7: *ram: Anima saturata calcabit faenum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Et certè quid dulcius fano & melle? sed non iucundum, ait, nõ esurienti. Quid verò amarum iniucundius? sed dulcia pauperi sunt: pauperes autem cum necessitate & esurie ad cibum veniunt, diuites verò eam non expectant. Vnde legitimam & sinceram voluptatem non capiunt. Neque in cibo tantum hoc accidit, sed etiam in potu. Sicut enim illuc esuries, supra escarum naturam, voluptatem inducit, sic & hic sitis iucundissimum potum facere consuevit, etsi pura sit aqua, quae bibatur. Et hoc ipsum Propheeta dicebat: Et ex petra melle saturauit eos. Atqui hoc nusquam in scriptura lectum est, quod eduxerit Moses mel de petra, sed tantum aquam. quid igitur hoc? neque enim Scriptura mentitur: postquam enim sitientes, & indigentia defatigati in aquas inciderunt, ex potu voluptatem*

Psal. 80.
7:

tem asserere volens, mel aquam appellauit: non
 tamquam mutata in mel natura sed bibentium
 dispositione, fluentia illa melle incundiora faci-
 ente. Vides quomodo sitis sitienti potū suauem
 reddere consuevit? Multi ergo pauperes fati-
 gati laboribus, siti ardentibus, cum dicta volu-
 ptate talia cibauere fluentia, diuites verò vinum
 suauē, & odorem, & omnem virtutem habens,
 quae in vino optari posset, haurientes, non eam dē
 sensere delectationem. Hoc etiam in somno fieri
 videas, non enim molle stratum, neque de argen-
 tatus lectus, neque quies per domum facta so-
 mnium dulcem & proclinem facere solet, sicut
 laborare, & lassari, & vehementer somni indi-
 gentes reclinari. Et hoc testatur rerum experi-
 entia; & ante ipsam experientiam Scriptura-
 rum sententia: delitijs enim enutritus Salomon, Eccle. 5.
11.
 idem demonstrare volens dicebat: Incundus
 somnus seruo, siue parum, siue multum come-
 dat. Cur igitur addit: siue parum, siue multum
 comedat? Quia ambo hac vigiliam inducere so-
 lent, indigentia & crapula. illa quidem spiritum
 arefaciens, & palpebras corneas reddens, nec
 claudi permittens; hac verò anhelitum augens,
 & elidens, & multos inferens dolores: sed tan-
 tum est laborum medicina, quod si etiam ambo
 adsint, seruus dormire potest. Postquam enim
 serui

serui tota die circumcurstant, dominis suis ministrantes, & ne minimum quidem respirantes, sufficientem laborum & lassitudinum retributionem capiunt in dormiendo voluptatem. Et hoc Dei benignitate factum est, ut non auro & argento, sed labore & necessitate & omni disciplina emi valeant voluptates. Non sic diuites, sed stratis mollibus iacentes saepe totam noctem insomnem ducunt, & multa somniantes tamen non fruuntur voluptate. Cum ergo maiori cum voluptate pauper & comedat, & bibat, & dormiat, quare diuitia hac priuata supra ipsam paupertatem prerogatiuam habebunt?

§. IX.

Miseram esse felicitatem, in possessione diuitiarum.

Boët. de
Consol.
Philos.
l. 3. prof.
8.

Chrysofomo addatur Boëtius, qui ita de opulentia philosophatur, *Diuitia quantae implicitae sint malis, breuissimè monstrabo. Quid enim? pecuniamne congregare conaberis? Sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? donanti supplicabis: & qui praere ceteros honore cupis, poscendi humilitate vilesces. Potentiamne desideras? subiectorum insidijs obnoxium periculis subiacebis. Gloriam petis? sed per aspera quaque distractus, securus esse desistis. Voluptuariam vitam degas? sed quis non spernat,*
atque

atque abiciat vilissima fragilissimaq; rei corporis seruitium? præsertim cum illud crucem potius soleat afferre, quàm voluptatem? ut D. Chrysostomus paulò priùs ostendit, hoc ipso pauperum conditionē præferens, quia illis omnia, quæ voluptatem afferunt, accidunt iucundiora. Immò & saniora. Ita enim ille: *Diuitibus in sua iucunditate multa irruunt agritudines: pauperes autem à medicorum manibus immunes sunt. Si verò nonnumquam in imbecillitatem incidant, breui seipsos instaurant, mollitie omni liberi, & corpora habentes robusta. Magna quidem possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus, thesaurus, qui nequit auferri, inculpabilis possessio, diuersorium ab insidijs tutum, & fons purissima sanitatis. Amat igitur Deus illum, cui hanc possessionem tribuit, & hunc thesaurum largitur, & istum fontem sanitatis. At nequeunt vnà consistere copia & inopia? copia autem pecuniarum bonum quoddam est? Ego verò nego illud esse bonū, inquit Boëtius, quod noceat habenti. Num id mentior? minime iniquies. Atqui diuitie possidentibus persæpe nocuerunt, cum pessimus quisq; aris alieni magis auidus, quidquid vsquam auri gemmarumq; est, se solum, qui habet, dignissimum putat. Tunc*

S. Chryf.
hom. 2.
ad pop.

Boët. de
Contol.
Phil. 1. 2.
prola. 50

E igitur

igitur, qui nunc contum gladiumq̄, sollicitus per-
timefcis, si vitæ huius callem vacuus viator in-
trasses, coram latrone securus cantares. O præ-
clara opum mortalium beatitudo, quam cum
adeptus fueris, securus esse desijisti! Ac ne Chri-
stianos duntaxat ita iudicare existimes,
etiam

Iuven.
sat. 14.

*Sensit Alexander testa cùm vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior
hic, qui*

*Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret
orbem,*

Passurus gestis equanda pericula rebus.

D. Anto-
nin. 2.
part.

Chron.
tit. 10.

c. 7. §. 2.
Bonfign.

Cacci-
guerra
lib. de tri-
bul. c. 4.

Nam esto, quietem, honorem, voluptatem,
omnia habeat, qui pecuniam habet, tamen
non habet securitatem. Et tantò grauius,
quantò securius periclitatur. Proficiscebatur
aliquando D. Ambrosius Romam. In
Hetruria diuertit ab homine admodum
copioso hospitio exceptus. Hic inter collo-
quendū cœpit iactare diuitias, prædicare
familiam, filios laudare, denique prospera
omnia commemorare, ac sanè præfidenter
dicere: Nihil sibi vmquam in omni vita sua
aduersum accidisse; læta omnia feliciaque
euenisse. Quid ibi D. Ambrosius? an hunc
censuit esse felicem? Nequaquã. Sed quàm
primum

primùm audiuit ita gloriantem, abitionem parauit, hortatusq; est etiam comites suos, vt & ipsi discessum maturarent, fieri enim non posse, vt tanta rerum prosperarum affluentia exitum longè infelicissimum non sit habitura. Iussit ergo eos mox secum discedere, ne & illi vnà iræ Dei furorem experirentur. Vix pedem è tectis extulit, cùm hospes, & omnis familia, domusque tota repentino terræ hiatus absorpta est. I, voca tales felices, qui dum se inter felices felicissimos putant, inter miseros miserrimi sunt numerandi: quibus malum serò, sed simul venit.

§. X.

Diuitiarum amissio luctuosa.

Hucusque de acquisitione & possessione diuitiarum disputauimus, quæ si cum labore acquiruntur, cum sollicitudine possidentur, quantum dolorem dabunt, si amittantur? Amittuntur enim; quia *omnia bona mundi triplex interitus tollit: aut ex seipsis ueterascunt, aut luxu dominorum suorum consumuntur, aut ab extraneis dolo vel violentia, vel calumnia diripiuntur*, ait disertissimus Pater. *Caduca nimirum hæc, ait Valerius, & fragilia puerilibusq; consentanea strepundis*

S. Chryl.
in cap. 6.
Matth.

Valer.
Max. lib.
6. 9.

sunt, quæ vires atque opes humana vocantur. Affluunt subito, repente dilabuntur: nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortuna huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improviso decursu destitutos in profundo cladum miserabiliter immergunt. Itaque neque existimari neque dici debent bona, quæ ut inflictorum malorum amaritudine desiderium suum duplicent, propensiore favore primò delinitos, maiore postea malorum cumulo opprimere solent. Democritus audiens de diuitijs in vtramque partem disceptantes, omnibus hominibus perpetuam quamdam diuitiarum cupiditatem inesse dixit; quæ si non acquisita fuerint, vexant; si erunt acquisita, solitudine & curatorem querunt. Amissa verò dolores etiam adferunt hanc mediocres. Quæ si non amittuntur in vita, certè cum vita amittendæ sunt. Quippe cum presenti vita pariter diuitiæ dissoluuntur non migrant cum possessore, sed ipsos potiùs deserunt ante mortem. Quod & ipsum demonstrat (Paulus) dicens: Neque in incerto diuitiarum. Nihil enim tam infidum, quàm diuitiæ. Fugitiuus seruus est, copia diuitiarum, ex si enim innumera ipsi vincula inycias, sic etiam cum ipsi vinculis fugit, sapiùs pessulis, & foribus ipsum possiden-

Max. ser.
12.

S. Chryf.
homil. 2.
ad pop.

1. Tim. 6.

possidentes concluderunt, seruorum adhibita custodia: ille vero seruis ipsis persuadens, cum ipsis custodibus aufugit, & nihil custodia profuit. Quid hoc infidelius? Va his, qui in multitudine diuitiarum suarum sperant. Quare, dices, va eis? Quia, inquit, thesaurizat, & nescit cui congregauit ea. Labor ergo certus, & fructus incertus: saepius inimicis laboras, & tu conficeris arumnis, & tibi quidem peccata, possessionem vero alijs heredibus praebuit.

§. XI.

Dolor ex amissione diuitiarum, ab exemplis Dionysij Syracus. Crassi, & Ioannis Conarij Equitis Poloni.

Doloris huius aliquot exempla libet apponere. Quo enim animo fuisse putemus Dionysium? qui cum hereditatis nomine à patre, Syracusanorum, ac panè totius Sicilia tyrannidem accepisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, equitatum potens, propter inopiam, litteras puerulos Corinthi docuit. Eodemq; tempore, tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis fortuna crederet, magister ludi factus ex tyranno monuit. Quid sensisse existimemus Crassum? cui pecunia magnitudo locupletis nomen dedit; sed eidem postea inopia turpem decoctoris sugillationem

Valer.
Max. l. 61
c. 9.

Idem ibi

lationem iniunxit. Siquidem bona eius à creditoribus, quia solidum prestare non poterat, venierunt. Ita quoque amara sugillatione non caruit: quia cùm egens ambularet, DIVES ab occurrentibus salutabatur. Quòd si isti dolorem presserunt, certè non pressit Ioannes Conarius Eques Polonus, nobili familia oriundus, de quo Cromerus hanc recenset historiam. Circa an. Christi 1177. imperium & gubernationem regni Polonici adiit Casimirus iuuenis adolescens lufui valdè deditus, adèò quidem, ut temerè cum quouis luderet. Is ad ludendum aliquando prouocauit Equitem Polonè familia nobili, & hodieq; in eo regno prepotenti Ioannem Conarium. Assensus est regi Conarius, productaq; voluptas illa in multam noctem. Tandem utroque in somnum ruente, conuenit inter ipsos, ut unico fortuna iactui, quod uterque nummorum haberet, permitterent. Victoria penes regem fuit. Conarius partim iactura nummorum, partim scommate illudentis ei regis exacerbatus palma regem in faciem percussit, & noctis ac tenebrarum beneficio euasit. Manè postridie perquisitus, & repertus, graui Iudicum sententia ad mortem damnatur. Sed rex quam primùm intercessit, liberè confessus coram omnibus parū peccasse Conarium, plurimum

Martin.
Cromer.
lib. 6.
Chron.
Pol.

rimum se in isto negotio. Nam primò pronocasse se Conarium ad ludendum; vrsisse deinde, in totam secum luderet summam; non quemuis in tanta nummorum iactura ira temperare posse; se dignum pœna esse, qui sua Maiestatis non habuerit maiorem rationem. Condonare igitur se, & plagam, & culpam Conario. Gratias insuper ei se debere, qui vna plaga sapere eum docuerit, & à leuitate in futurum reuocârit. Serio autem se hac dicere, vt Conarius certo sibi persuadeat argumento, fore beneficium nouum. Et cum dicto afferri iussit omne aurum, quod & posuerat ipse, & à Conario ex lucro acceperat; idq; allatum Conario in manus tradidit. Magna hæc regis virtus fuit, & heroici pectoris exemplum; sed in Conario apparuit, quantus sit dolor, pecuniam vel per ludum atque iocum amittere. Suprà ostendimus in Antonio Vrceo Codro, quantam in mœstitiam, immò insaniam eum coniecerit, vel amissus incendio liber. Innumera sunt exempla, quæ docent, fluxa isthæc bona longè maiore cum dolore perdi, quàm labore quæri. Et subscribunt totis cateruis agminatim occurrentes viri fæminæq;, lamentantes, quòd hostilis vel flamma, vel rapina eos dispoliârit. Quibus vel hoc solatiij

potest esse, quòd iam nihil debeant amplius metuerè, quia nihil possunt amplius amittere.

C A P V T. V.

Quanta diuitijs & vitijs inter se sit cognatio?

§. I.

Diuitijs boni bene, mali malè vtuntur.



Aborem, curam, dolorem afferunt opes, vt dixi, non tamen ex se, sed eorum culpâ, qui laborant, curant, aut dolent. Ast *unumquodq;* non hominum, sed rerum pondere iudicandum est, ait S. Hieronymus, *nec diuiti obsunt opes, si bene vtatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit.* Et D. Augustinus: *Vt noueritis, non pecuniam in diuite, sed auaritiã condemnari: aduertite, quod dico. Respicias in illum diuitem stantem iuxta te: & fortè in illo est pecunia, & non est auaritia; in te non est pecunia, & est auaritia.* Hæc culpabilis, & propter hanc illa vitabilis est; non quia mala, sed quia, si in malos incidit, auaritiæ sit nutrimentum. Quare sicut auaritiæ reprehensio re-
dit in diuites, non in diuitias, ita neque in
autho-

S. Hieronym. ep. ad Saluian.

S. Aug. in Plal. 51.